

testes mihi estis me velle et procurare concilium, quando sine eo tantis malis remedium haberi non potest. Serenissimus autem rex vester merito est mihi charissimus cuique in hac re et in aliis honestis, quales suae sunt, morem gerere cupimus. Ut autem M^{ti} Suae ac Caesareae constet nos ad hoc opus sanctum properare velle, cras congregabimus istos reverendissimos dominos et dabitur ordo, ut nuntii mittendi ad Caesarem et ad regem vestrum et ad christianissimum mittantur per medias postas, ut concilium indicant et ad effectum illius properari faciant. Et sic heri die jovis XIII praesentis habita fuit congregatio universalis cardinalium ibique expediti modo, ut supra Faventinus ad Galliam, protonotarius quidem Lucensis et nunc gubernator huius Urbis et antiquus servitor papae ad Caesarem et episcopus Mutinensis, filius Moroni, de quo per alias meas scripsi ad M^{tem} V. Et hi omnes intra quadriduum, ut puto, proficiscentur. Episcopus vero Regiensis, comes de Rangonibus, qui destinatus et vulgatus erat nuntius ad Caesarem non mittitur, cum propter aliquod alias causas, tum quia gravis homo est neque aptus ad eundem celeriter, ut Sua S^{tas} vult.

Quantum ad secundum punctum ¹ procurandum per dictum marchionem Bauri, etsi diu multumque per eum nunc instantissime et per oratorem antea laboratum est, nihil tamen eos profecturos spero. [En cifras]: quoniam pontifex pertinacissime decrevit neutralitatem servare quamquam hodie venturus est d. Petrus Aloisius, filius S^{uis} Suae, ad rogandum et astringendum vehementissime S^{tem} Suam, ut hoc fedus faciat, quoniam est antiquus Caesaris servitor et ante hoc tempus valde bene tractatus et liberaliter etiam donatus a M^{te} Caesarea. Neque erit abs re, si V^{ra} M^{tas} ad eum scribat gratiose, de quo etiam particularius eam monebo.

Orig. *Archivo privado, palatino y público de Viena*, Romana fasc. 7.

8. El Cardenal Hércules Gonzaga al duque de Milán ²

Roma, 18 Enero 1535.

Nel consistoro di venerdì N. S. propose che havendo in brieve a mandare i nuntii a principi christiani per le cose del concilio desiderava sapere da noi altri come ci pareva che ci dovessimo governare in tale materia mostrando quanto fosse necessario celebrare il detto concilio; d'alcuni fu detto che si poteva ricercare a principi il consenso d'intimarli, et da altri che ciò non bisognava, toccando principalmente a S. S^{ta} d'intimarlo senza consenso di veruno, ma che intimato che fosse poteva poi con essi principi trattar del luogo et d'altre particolarità non essendo ogni luogo a proposito d'ogni principe. N. S. in questa diversità di pareri disse che si poteva pigliare una via di mezzo che sarebbe

(1) Esto es según el principio del despacho: 1, de concilio accelerando; 2, de foedere inter S^{tem} et Caesarem ad conservationem Italiae; 3, de particularizando auxilio contra Barbarossam.

(2) Cf. vol. XI, p. 62, 63, 64.

il commettere a nuntii che facessino intendere a principi come S. S^{ta} stava deliberata di fare il concilio et così non veniva a chiedere loro il consenso, nè anche dare sospetto di dilatione per non farlo, et di questo modo havevano da portare le istruzioni, mostrando gran desiderio di volerlo con effetto, oltra che liberamente a ciascuno che parla con lei lo dice. Il vescovo di Faenza qual'è deputato nuntio in Francia m'ha detto che N. S. ogni modo vuole il concilio perchè tutte le commissioni sue tendono a questo fine, ma io per le solite vie, dove intendo l'altre cose, sono avertito, che S. S^{ta} mostra di volerlo, stimando certo che i principi no'l vogliano in fatti, ma solam^{te} in dimostrazione, et che per le discordie et volontà di Francia sopra le cose d'Italia non si possa in alcun modo fare.

Borrador, Cod. Barb. lat. 5788, f. 85 de la *Biblioteca Vaticana*.

9. Sánchez al rey Fernando I ¹

Roma, 20 Enero 1535.

XV praesentis scripsi ad M^{tem} V. ultimo per viam r^{mi} dⁿⁱ Tridentini eodem vero die dum ego scriberem habuit consistorium S^{tas} Sua, in quo, ut ex optimo loco compertum habeo, proposuit haec verba cardinalibus: «propter causas apprime necessarias atque urgentissimas deliberavimus et proposuimus indicare concilium generale. Volumus et petimus concilium vestrum, an primo debeamus petere consensum principum christianorum.» Responderunt omnes nemine discrepante nullomodo debere concilium generale celebrari, subiungentes aliquas apparentes rationes Verum replicans illis Sua B. dixit: «Dⁿⁱ r^{mi}, video vos parum intellexisse mentem meam. Nos enim non consulimus, an debeat indici concilium vel ne, quia mens nostra firma est illud indicare, sed, an ad hoc faciendum debeamus primo petere consensum principum vel ne.» Tunc omnes unanimiter censuerunt consensum principum debere peti atque ita est deliberatum ². Hoc enim faciunt cardinales, ut protrahant et differant negotium concilii. Quia, licet pontifex habeat in hoc bonam voluntatem, totum collegium cardinalium renititur et propterea in tractatu huius rei cavendum esset ab eis. Licet certe non possum dicere, nisi quod cardinalis Salviatius servit bene M^{ti} Vestrae.

Orig. *Archivo privado, palatino y público de Viena*, Romana fasc. 7.

10. El Papa Paulo III á Andrés Cricius, obispo de Plock ³

18 Marzo 1535.

Venerabili fratri Andree episcopo Plocensi. Venerabilis frater salutem etc. Dudum per fe. re. Clementem papam VII predecessorem

(1) Cf. vol. XI, p. 62, 63.

(2) Desde ahí está cifrado, con explicación interlineal de las cifras.

(3) Cf. vol. XI, p. 329.

nostrum accepto, quod nonnulli partium Germanie pestifere heresis Lutherane labe respersi ad cor redeuntes ad regnum Polonie ut communioni ecclesiasticae restitui possent se conferebant, dictus predecessor paternitati tue quascunque utriusque sexus tam ecclesiasticas quam seculares personas huiusmodi Lutheran[a] aut quavis alia heresi refertas undecunque existentes ad dictum regnum, ut in eo habitarent pro tempore se conferentes ad veritatis lumen redire ¹ huiusmodi heresim abiurare volentes, postquam errores suos deposuissent ac de premissis doluissent idque humiliter petiissent, si alias relapsi non forent, receptis prius ab eis abiuratione heresis huiusmodi legitime et publice facienda ² prestandoque per eos iuramento, quod talia ex tunc deinceps non committerent nec talia aut hiis similia committentibus seu adherentibus consilium, auxilium vel favorem per se vel alium seu alios prestarent, aliisque in similibus servari solitis servatis ad omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, quas propterea quomodolibet incurrissent et ab huiusmodi delictis, excessibus et criminibus ac alias in forma ecclesie consueta absolvendi et super irregularitate premissorum occasione quomodolibet contracta dispensandi omnemque inhabilitatis, et infamie maculam sive notam penitus abolendi ac eos rehabilitandi ac ad honores, famam ac pristinum et eum ³, in quo ante premissa erant, statum necnon ad nostrum et eiusdem sedis gremium, gratiam et benedictionem restituendi reponendi et plenarie reintegrandi ac alia in premissis et circa ea necessaria seu quomodolibet oportuna faciendi et exequendi plenam et liberam auctoritatem et facultatem per suas in forma brevis litteras ad eius beneplacitum concessit, prout in eisdem literis plenius continetur. Cum autem postmodum dictus Clemens predecessor ab hac luce, sicut Domino placuit, subtractus ⁴ fuerit sicque facultas tibi per eum ad eius beneplacitum concessa expiraverit et, sicut accepimus, fraternitas tua facultatis predictae vigore Philippum Melancthonem a partibus Germanie et erroribus illorum tam literis quam nunciis solerti cura et diligenti studio revocare studueris ac postmodum causantibus nonnullis supervenientibus impedimentis et aliquorum detractionibus et calumniis id interromperes, sed, um inpresentiarum voluntates ipsius Philippi exploratam habeas, ceptum per te opus huiusmodi superni favoris auxilio e auctoritate nostra tibi suffragancibus ad effectum perducere nullisque propterea sumptibus et expensis parcere intendas, maxime cum hoc reipublice christiane plurimum profuturum fore speres: Nos pium et laudabile propositum tuum plurimum in Domino commendantes ac sperantes, quod tu religionis zelo fructuosos orthodoxe fidei palmites

(1) Corregido por *ut*.

(2) Prestandoque, primeramente corregido en prestittique, pero después restablecido.

(3) Sigue tachado: statum.

(4) Perece haber de decir más bien subtractus. pero contado será sin duda sólo subtractus.

transplantare pro viribus conaberis, eidem fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, prefatum Philippum et alios quoscunque utriusque sexus tam ecclesiasticos quam seculares huiusmodi pestifera Lutherana aut alia quavis heresi infectos undecunque existentes et ad dictum regnum se conferentes ac ad veritatis lumen redire et huiusmodi heresim abiurare volentes, postquam errores suos deposuerint ac de premissis doluerint idque humiliter petierint si alias relapsi non fuerint receptis prius ab eis abiuratione heresis et prestando iuramento huiusmodi aliisque in similibus servari solitis ab excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, quas propterea quomodolibet incurrerint, et ab huiusmodi delictis excessibus et criminibus absolvendi et super irregularitate premissorum occasione quomodolibet contracta dispensandi omnemque inhabilitatis et infamie maculam sive notam abolendi eosque rehabilitandi et ad honores famam ac pristinum et eum statum, in quo ante premissa erant necnon ad nostrum et eiusdem sedis gremium, gratiam et benedictionem restituendi reponendi et plenarie reintegrandi ac alia in premissis et circa ea necessaria faciendi et exequendi plenam et liberam auctoritatem et facultatem similiter ad beneplacitum nostrum concedimus per presentes, non obstantibus premissis ac quibusvis apostolicis necnon in provincialibus et sinodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis quibuscunque ¹. Volumus autem quod Phy[lippus] et alii predicti ad loca *car^{mo}* in christo filio nostro Sigismundo Polonie regi ill. subdita absque ipsius regis consensu non accedant nec in eis absque eodem consensu permaneant.

Dat. Romae etc. 18 Martii 1535 n^o primo.

Hie[ronymus] audit. Blos[ius].

Borrador, Min. brev. Arm. 41, t. 50, n. 6. *Archivo secreto pontificio*.

11—12. Sánchez al rey Fernando I ²

Roma, 3 Junio 1535.

Respecto á Camerino, el Papa por ningún precio se deja mover á un partido amistoso... asserens sibi pudori et vituperabile fore, si propusiese á un tercero la resolución de un negocio con su súbdito; antea velle perdere papatum suum quam quicque indecorum committere; verum deum labore magno et praesertim domini Petri Aloisii condescendit hodie in hoc medium, quod dux ponat eam civitatem et illius arcem in manum et potestatem oratoris cesarei...

Orig. *Archivo privado palatino y público de Viena*, Romana fasc. 7.

(1) Sigue tachado: Dat. . . Lo que sigue (Volumus autem. . .) es de otra mano (sin duda de Hier. endit.).

(2) Cf. vol. XI, p. 274.

13. El Papa Paulo III al emperador Carlos V¹

Roma, 15 Julio 1535.

Carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori. Carissime in Christo fili noster salutem etc. Ex relatione dilecti filii, comitis de Sifuentes oratoris Vestrae Caesareae Majestatis et ex literis nuntii nostri proxime allatis non sine singulari gaudio et letitia accepimus felicem Serenitatis Vestrae ad Africae litora appulsum et quae ipso expeditionis exordio pro votis successerint quidve rursum levis incommodi (neque enim fortuna secunda et laeta esse omnia patitur) acceptum sit. Nobis itaque totam simul rem et belli statum, qui refertur, ante oculos ponentibus et vires opportuni tatesque nostras itemque hostium aequa lauce pensantibus summa profecto et indubitata spes offertur fore, propediem victoria optata succedat et certe, si majorum gesta animo revolvimus, nunquam ex Italia atque occidentis partibus Africae sine successu arma sunt illata. Ex nulla provincia tanta triumphorum series, tot tropheorum decora sunt relata, sive ad Carthaginem olim sive ad Tunetem praelia sive etiam in reliquam Africam consideremus. Et caeteris quidem bene gerendae rei fortuna non defuit, M^{ti} Tuae Ser^{mae} etiam superest. Quare omnium cordibus summa spes insita est, illud hoc maxime tempore impletum iri, quod psalmographus olim vaticinatus est, inimicorum defecerunt frameae in finem.

Nos ad propitiandam Dei in suos voluntatem nihil hucusque intermissimus, humiles ad ipsum preces, licet peccatores atque indigni, assidue fudimus. Indicto jejunio concessisque indulgentiis supplicationes ad omnia templa, ad universas aras non in urbe solum atque Italia, sed et per omne christianum nomen, pro salute et victoria Vestrae Ser^{tas} perquam diligenter fieri et continuari curavimus. Et fiduc a summa est in omnium animis Omnipotentem suae causae non defuturum ac justas piorum preces exauditurum, ut Caesaream M^{tem} V. cum suo invicto exercitu gloriosis victoriae titulis insignitam incolumen Nobis et fidelium plebi restituat.

Interea, hoc admonendum, car^{me} filii noster, te duximus, ut salutis tuae quam exquisitissime consulas, neu te periculis prae nimia fortitudine objicias. Plus consilio, quam manu et viribus, ab Imperatore praestatur. Existimet Ser^{tas} Tua ac vere sibi persuadeat in capite suo constitutam esse Christianorum salutem, ea incolumi, Nos de Africa Asiaque deque caeteris Christiani nominis hostibus, cum auxilio, feliciter triumphaturos. Reliqua Imperatrix M^{tas} V. ex nuntio nostro cognoscet, cui uberius mentem animumque et affectum nostrum largiore sermone commissimus explicandos. Feliciter valeat Ser^{ma} V. M^{tas}, vincat gloriose et se ad majora conservet.

(1) Cf. vol. XI, p. 212.

Datum etc. Romae apud sanctum Marcum etc. Die XV julii 1535 anno primo Fab. Vigili.

Smus D. N. addidit hec verba manu sua: Preghamo et exhortamo V. M^{ta} Cesarea attenda soprattutto ad conservare sua imperiale et dignissima persona in la salute, della quale consiste il bene e felicità de tutta la republica christiana havendola Dio a tal fine eletta et sublimata. A[lexander].

[A tergo:] 15 julii 1535 anno p^o.

Imperatori super ejus applicatione in Africam.

Borrador, Min. brev. Arm 41. t. 52, n. 144. *Archivo secreto pontificio*.

14. Viaje de Paulo III á Perusa

Septiembre 1535.

El primer gran viaje de Paulo III, lo describió al punto su maestro de ceremonias Blas de Martinellis en un escrito especial intitulado: Recessus S. D. N. Pauli Papae III ex urbe versus Perusiam ad civitatem illam quietandam a seditionibus illorum (*Archivo secreto pontificio* XII, 57 s., 58 ss. y 58 s., 229 s. como también en el Cod. lat. 12547 f. 204 s. de la *Biblioteca nacional de Paris*). De él se saca el siguiente itinerario: Die veneris 3 Sept. 1535 ex palatio S. Marci associatus a multis cardinalibus á S. Maria del popolo y de allí á Castelnuovo; el 4 Septiembre de Castelnuovo á Civitá Castellana: junto con el Papa viajaban los cardenales Palmieri, Ghinucci, Farnese y Santafiora. El 5 á Narni, el 6 á Terni, el 7 á Spoleto, el 8 á Foligno; aquí el recibimiento tiene especial solemnidad; se recitan 'carmina' que el Papa oye con singular agrado. El 9 al convento de S. Maria degli angeli, junto á Assisi; aquí oye el Papa la Misa y come en el convento á mediodía; por la tarde al convento de S. Pietro fuori le mura. El 10 en Perusa pontificaliter et cum pompa, minuciosamente descrita. El 30 partida de Perusa á Todi. El 8 de Octubre vuelta á Roma.

15. Fabricio Peregrino al duque de Mantua¹

Roma, 28 Enero 1536.

Hoggi in consistoro Sua St^a è stata sopra della reformatione della corte et delli habiti de preti e altre persone ecclesiastiche dicendo voler che a ogni modo si osservi sotto escomunication, privation de beneficii et altre gravissime pene et incominciarasi a observar alli 13 del mese che viene...

Orig. *Archivo Gonzaga de Mantua*.

(1) Cf. vol. XI, p. 148.

16. Edicto del Papa Paulo III, sobre la reformatión del clero de la ciudad de Roma¹

Roma, 11 Febrero 1536.

Edictum reformationis generalis personarum et locorum ecclesiasticorum in Urbe de mandato S. D. N. domini Pauli divina providentia papae III.

In primis quod patriarchae, archiepiscopi et episcopi tam in Urbe quam extra Urbem incedant in habitu condecienti, videlicet cum mantello seu gabbano extra Urbem, ita tamen quod per Urbem, videlicet per loca, ubi sit frequentia virorum, et ad palatium non vadant sine rochetto et caputio episcopali et in ceteris vestibus, et in aliis servent modestiam eis convenientem, et in domo teneant vestem longam.

Item quod ipsi patriarchae, archiepiscopi et episcopi curent, ut eorum familiae honeste et recte iuxta eorum gradum vivant serventque et[iam] infra scripta, prout singulos respective concernunt, nec familiaribus suis in sacris ordinibus vel in aliqua dignitate ecclesiastica constitutis utantur in vilibus exercitiis nec in officio parafrenariatus.

Item quod inferiores praelati et clerici omnes, presertim beneficiati, portent tonsuram clericalem, ita ut praesbiter habeat maiorem quam diaconus, et diaconus quam subdiaconus, et tonsura subdiaconi non sit minor uno julio. Qui si tonsuram clericalem non portaverint, non gaudeant privilegio clericali, et nihilominus clerici, qui beneficiati aut in sacris ordinibus constituti fuerint, possint per urbis ordinarios arbitrio ipsorum puniri.

Quod vero ad habitum: omnes clerici beneficiati, exceptis parafrenariis, portent vestem longam usque paululum supra talos, exceptis clericis, qui nec beneficiati nec in sacris ordinibus constituti fuerint, quibus liceat portare gabbanum longum subtus genu et biretum cum plica. Parafrenarii vero, ne impediatur in incessu, possint portare gabbanum longum usque ad mediam tibiam vel cappam sine cappucio et biretum cum una plica. Omnes autem clerici, quicumque sint, abstineant a vestibus a iure prohibitis, nec utantur alio colore quam nigro vel violaceo aut leonato. Et similiter abstineant a diploydibus² et says³ et caligis frappatis et desuper incisis⁴, et a pannis pilosis, qui vulgo dicuntur cottonati, nec portent camisas ornatas auro vel serico, neque utantur monilibus sive collanis, quae appareant. Abstineant etiam omnes clerici ab ornamentis equorum seu mularum, et etiam a vestibus ad usum personarum suarum ab extra ex velluto, serico, vel damasco aut tali; possint tamen, si voluerint uti in diploydibus et says vel aliis vestimentis copertis et non apparentibus, exceptis iis, qui in sacris ordinibus vel

(1) Cf. vol. XI, p. 148.

(2) Doble sobretodo (v. Du Cange III, Niort. 1884, 122).

(3) Sarga.

(4) Borceguies con escotaduras.

in dignitate ecclesiastica sunt constituti et canonici cathedralium ecclesiarum, qui velluto, serico, damasco ac tali uti non possint praeterquam in diploydibus. Ab eo autem, quod supradicitur de coloribus et serico, intelligantur excepti familiares continui commensales Sanctissimi D. N., qui iuxta antiquam consuetudinem possint colore rubeo, immo ad honestandam maiestatem sedis apostolicae saltem in publicis actibus, uti. Quod vero ad penas, repetitur quod in proxime praecedente capitulo dicitur.

Item quod omnes clerici, qui beneficia ecclesiastica possident, vel qui in sacris ordinibus constituti sunt, divinum officium quotidie recitent et habentes pensiones super beneficiis ecclesiasticis saltem recitent officium beatae Virginis.

Item quod clerici in urbe existentes, qui beneficia ecclesiastica possident in Urbe vel extra, infra quattuor menses a die edicti desuper decreti ad ordines, ad quos ratione suorum beneficiorum tenentur, se promovere faciant, et ad tollendas excusationes Sanctissimus D. N. ex nunc dat licentiam iis, qui habent curam ordinandi in Urbe, ut tales possint etiam extra tempora diebus festis ordinare, durantibus dictis quatuor mensibus, quibuscunque dispensationibus non obstantibus.

Item quod nullus ad sacros ordines in Urbe promoveatur nisi habeat qualitates a sacris canonibus requisitas et beneficium ecclesiasticum.

Item quod nullus ad sacros ordines in Urbe promoveatur nisi habeat qualitates a sacris canonibus requisitas et beneficium ecclesiasticum.

Item quod canonici et beneficiati patriarchalium et collegiatarum ecclesiarum Urbis et in ecclesiis, in quibus sunt canonici et beneficiati, iuxta ipsarum statuta, etiam si praetendatur non esse in usu, divinis personaliter et intersint et serviant et modestiam debitam in choro servent et canonici, quando in ecclesiis eorum sunt in divinis et etiam in supplicationibus et processionibus publicis, sint induti superpeliciis habentes almutias ex pellibus variorum, sicuti eos decet, ubi est solitum almutias portari, et hi, qui soliti sunt portare cappas, illas portare teneantur.

Item quod qualibet dominica et aliis diebus, quibus ex statuto ecclesiastico vel consuetudine a servilibus operibus abstinetur, in patriarchalibus et collegiatis ecclesiis almae Urbis unus ex canonicis cum duobus aliis canonicis officium diaconi et subdiaconi gerentibus missam celebret.

Item quod rectores parochialium ecclesiarum almae Urbis cessante legitimo impedimento per seipsos curam gerant animarum, si vero impediti fuerint, per idoneum vicarium, cui ex fructibus ipsius ecclesiae congruam portionem impartiantur per vicarium Urbis statuendam et nullus deputari ad curam possit, nisi fuerit per vicarium vel eius deputatum examinatus et approbatus, absque tamen aliqua solutione.

Item quod in patriarchalibus et collegiatis ecclesiis, praesertim tempore resurrectionis D. N. Iesu Christi, sacramentum eucharistiae

ministretur per unum ex antiquioribus canonicis, debita praevia erga suscipientes sacramentum monitione et exhortatione, rectores vero parochialium ecclesiarum per seipsos et tam canonici quam rectores id faciant cum debita reverentia et in loco convenienti designando per cardinalem, qui illi ecclesiae praefuerit, vel per vicarium Urbis.

Item quod capitula patriarchalium et collegiatarum ecclesiarum et rectores aliarum necnon monasteria et conventus religiosorum, tam in Urbe quam circa eam existentes curent, quod eucharistia et alia sacramenta decenter teneantur et nitide et in locis convenientibus et clausis et quod ante eucharistiam semper lampas habeatur accensa tam die quam nocte, sub penis arbitrio vicarii Urbis et in utilitatem ecclesiae exponendis.

Item quod quilibet clericus in aliis sacris ordinibus infra tamen praesbiteratum constitutus fructus ecclesiasticos quoslibet percipiens saltem quater in anno, videlicet in paschate resurrectionis, nativitatis Domini, penthecostes et assumptionis beatae virginis praevia sacramentali confessione sacramentum eucharistiae sumat, praesbiteri vero in omnibus festis, quae sunt de precepto Ecclesiae et etiam in solenniibus et ulterius semel in mense saltem celebrent, legitima causa cessante.

Item quod vasa et omnia alia ad cultum divinum destinata sint in sufficienti numero et pura et nitida nec ad alium quam ad divinum usum deserviant.

Item quod diebus dominicis et aliis ex statuto Ecclesiae servari praecipis missae, quae maiores vocantur, votive in dictis ecclesiis non celebrentur.

Item quod tam capitula quam rectores ecclesiarum librum aliquem in sacristia teneant, in quo omnia mobilia et immobilia bona ecclesiarum sint descripta.

Item quod tam clerici quam laici a blasfemia in Deum et Dominum nosrum, beatam Virginem et sanctos et sanctas et a sortilegiis et incantationibus et demonum invocationibus abstineant nec fiant in Urbe publice sortes sub penis in aliis bandis contentis

Item quod clerici cuiuscunque qualitatis et dignitatis abstineant a commercio suspectarum personarum et a tabernis et inhonestis locis.

Item quod clerici abstineant a ludis et aliis actibus illicitis nec se gerant pro istrionibus in comediis et tragediis ac publicis spectaculis.

Item quod in quadragesima et aliis diebus prohibitis ab Ecclesia ab ovis, butiro, caseo et aliis lacticiis et carnibus abstineant nisi de consilio utriusque medici.

Item quod provideatur aliquo honesto modo circa venditionem carni tempore quadragesimali et de hoc curam suscipiat Urbis gubernator et dictus vicarius.

Item quod tam clerici quam laici, dum sermones fiunt ad populum, per ecclesiam non spacientur vel deambulent, et mendicantes non vadant per ecclesias dum divina celebrantur.

Item quod predicatorum verbi Dei, dum in specie volunt in eorum sermonibus damnare aliquas haereses, praesertim Lutheranas, communitent modum, quem circa id servare intendunt, cum magistro sacri palatii vel vicario Urbis et servant id, quod ipse magister vel vicarius eis circa hoc ordnabit.

Item quod in ecclesiis Urbis quae indigent reparatione, ex ipsarum fructibus et redditibus congrue reparentur solum necessaria portione pro victu rectoris servata, si rectorem habeat; si vero collegiata et dicti canonici et rectores alios redditus habuerint, unde congrue sustentari possint, donec ecclesia congrue reparata fuerit, praedicta portio eis non detur, arbitrio vicarii iuxta formam motus proprii desuper ei concessi.

Item quod in ecclesiis Urbis quarum canonici ex fructibus et redditibus suorum canonicatum sustentari non possunt, canonicatus extinguantur et ex eis una rectoria erigatur, sine tamen praeiudicio modernorum possessorum.

Item quod ecclesiae Urbis, quae reparatione indiguerint et ex eorum fructibus et redditibus reparari non possunt, aliis ecclesiis uniantur non habentibus sufficientes redditus, ut ex eorum fructibus valeat sustentari unus rector, qui ex unius fructibus sustentari non poterat. Et hoc fiat per cardinalem, cuius titulo ecclesia unienda subest assistente sibi vicario Urbis.

Item quod monasteria in Urbe et circa eam existentia et religiosorum quorumlibet loca cuiuscunque ordinis, etiam si sint data in commendam assidue habeant sufficientem numerum religiosorum arbitrio protectoris eiusdem ordinis; quod si redditus dictorum locorum non sufficiant, quod deest ex aliis monasteriis et religiosis locis dictorum ordinum extra Urbem existentibus suppleatur.

Item quod provideatur, ne in exequiis defunctorum super ceris et vestibis dividendis fiant rixae, cum ex hoc laici non parum scandalizentur, et merito; hoc curet vicarius Urbis.

Item quod sedentur discordie inter clericos et regulares super precedentibus in processionibus et aliis propter scandala, et hoc curet vicarius Urbis.

Item quod nulla ecclesia Urbis vel monasterium sit exemptum a processionibus, etiam sub praetextu quorumcunque privilegiorum.

Item quod male sentientes de fide et suspecti per iudices ordinarios ecclesiasticos inquirantur et puniantur.

Item, quia quamplures presbiteri legere nesciunt missas et qui intersunt scandalizantur, quod in dicta Urbe nullus presbiter missam celebrare audeat, nisi docuerit in scriptis se ad hoc respective approbatum fuisse per vicarium Urbis, qui si presbiter Germanus fuerit etiam per administratores sanctae Mariae Theutonicorum, si vero Gallus fuerit per administratores sancti Ludovici, et si Hispanus per administratores sancti Iacobi Hispanorum et si fuerit Anglus per rectores hospitalis Anglicorum vel penitentiarium Anglicorum in basilica principis apostolorum existentem, si fuerit Ungarus per Ungarorum, si Polonus per Po-